

fertur. Hinc etiam nonnullis philosophorum  
 τὸ ἀγαθὸς τῆς ψυχῆς, facultas animae boni-  
 formis audit.

## §. XL.

Et ita quidem in omnibus hominibus volun-  
 tas se habet, vt bonum semper sine vlla intermis-  
 sione appetat, licet non semper omnes idem ap-  
 petant. Quin magna appetituum est varietas, qui  
 & *inclinacionum* nomine veniunt, & si per con-  
 suetudinem aliisque de causis fuerint firmatae, in  
*mores* tandem abeunt.

## §. XLI.

Per *mores* enim nihil aliud quam voluntatis  
 inclinationes, quae homini tum per naturam in-  
 sunt, tum ab aliis causis inducuntur, simul tamen  
 firmatae sunt & corroboratae, intelligo.

## §. XLII.

Actus voluntatis varii sunt, & varias sortiun-  
 tur denominationes. Namque si bonum, ad  
 quod tendit, finis instar concipiatur, & seorsim  
 media, quibus nos vti decet, vt boni huius com-  
 potes reddamur, considerentur, sex voluntatis  
 actus enumerari solent: *volitio, intentio, fruitio,*  
*electio, consensus, & vsus.*

## §. XLIII.

Et tres quidem priores ad *finem*, posteriores  
 ad *media* pertinent. Primo enim finem cogni-  
 tum voluntas adprobat, deinde ad eundem  
 consequendum efficaciter se mouet, & tandem  
 eo obtento fruitur, placideque adquiescit.  
 Sic